



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

X. Calvinistarum querela.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quia Superbiæ natura est illicita experere. At hæreticos in ecclesijs aut locis sacris sepeliri Ecclesia vetuit. Præpostera cura, corpori honestum vbi quiescat locum querere, anima interim infernos cruciatus patiente. Sed & hoc desiderium ideo diabolus ipsis, immitrit, vt sicut Catholicorum animæ Purgatorij igni ab omni labe quam adhuc habent, purgantur, atque in eo ipso doloris sentiunt leuamentum: sic hæreticorum animæ tanto magis crucientur, quanto in sanctioribus locis corpora ipsorum iacent. Illud denique operam dat diabolus, vt hæreticorum sepultura sacra loca profanentur ac polluantur.

IX. Sepulcrorum curam ad Episcopos pertinere, non vero ad ciuiles magistratus, multis euidētissimis argumentis vt & exemplis demonstrari potest: id quod ex Nouella etiam XI II. apparet, Quod eo dico, vt Episcopi hoc ius suum e-

ripi sibi aut loca sacra profanari non patiantur.

X. Frustra ergo à Catholicorum cæmeterijs vos arceri conquerimini, Calvinistæ. Qui Ecclesiæ leges violastis, cur non merito pœnas detis. Nō conuenit vt in Ecclesijs sepeliantur pro quibus Ecclesia non orat. At vos ipsi pro mortuis orate superstitiosum esse dicitis. An vultis vt nostra corpora eijciantur, & vestra in Ecclesijs sepeliantur? Vna enim quiescere non possumus.

Sed finem iam operi impono, postquam Ecclesiæ rebelles ad sepulcra deduxi, Tu Lector, interim zelum hunc meum Ecclesiæ seruiendi non modo agnosce, sed & pro virili imitare: qui in me quidem non exstinguetur.

Dum spiritus hos reget artus.

LAUS DEO.

